

siones contente in ¹⁾ eisdem peti possent computando in antea, persona cuius interest non fuerit protestata vel querelam non deposuerit in iure, habeantur instrumenta ab inde in antea inutilia et cassa. Et utentibus eisdem nulla ratio fiat, et per similem modum intelligatur de debitis non contentis in instrumentis. ¶ Salvo quod, si aliquis forensis habere deberet et recipere ab aliquo cive vel habitatore Tergesti, fatiente angarias civitatis Tergesti, aliquam pecuniam, et non fuerit ius suum prosecutus contra talem civem vel habitatorem infra tenpus quindecim annorum a termino contento in ipso instrumento vel instrumentis preceptis vel precepto, quod ab inde in antea non audiat nisi fuerit ius suum prosecutus infra dictum tenpus vel solempniter protestatus in iure; et salvo quod dictum decennium preiudicare non debeat aliquibus legatis [vel] ²⁾ // dimissoriis, factis tam per testamentum quam codicillos, sicut preiudicant aliis debitis; ac etiam preiudicare non debeat dictum decennium orphanis vel pupillis qui sine tutore essent, nec illis personis que infra dictum terminum essent extra civitatem Tergesti; nec etiam debeat preiudicare predictum decennium pupillis non habentibus legitimam etatem, qui haberent ³⁾ commissarios vel tutores, qui pupilli postquam essent legitime etatis usque ad tres annos subsequentes eorum ³⁾ legitime ³⁾ etatis uti possint iuribus suis secundum tenorem suorum instrumentorum, non obstante aliquo decenio. ¶ Item quod nulla protestatio facta occasione alicuius debiti de aliquo decenio valeat nec teneat, nisi facta fu[er]it in presentia debitoris vel sui procuratoris, vel nisi fuerit bis citatus et tertio cridatus super scalis palacii comunis et antea domum habitationis ipsius debitoris, ostendendo per publicam scripturam, et hoc facto talis protestatio valeat et teneat.

¹⁾ *in - cuius* aggiunta marginale. ²⁾ Così gli Stat. 1365. ³⁾ Aggiunta marginale.